

DEDICATIO.

aliter atq; bracteam gemmae suppositam. Tu omnia fortuna, quae vocamus, bona, pro alienis habebis. Tu sapientiam tibi viaticum ab adolescentiâ ad senectutem comparabis. Tu scientiam omnibus aliis bonis certiolem & firmiorem esse possessionem cogitabis. Tu virtuti litabis, quâ unâ viâ parens tuus ad tantum dignitatis fastigium asurrexit. Tu deniq; verè nobilis radicis filium te esse cogitabis; quâ formulâ utitur Amphiloehius ad Seleucum. Hanc radicem, parentem tuû, tibi propone exemplar & speculum, in quod inspicias. Non illius rebus præclarè gestis stolidè superbies, sed quoties illas intueris (debes autem quotidie) dabis operam, ut illius virtutes imiteris, nec solùm honestam famam ab eo acceptam conserves, verùm etiam insigni accessione auctam ad posteritatem transmittas; atq; adeo non solùm adæques, sed quod magis tantum virum optare credibile est, vincas. Hæc ut possis, faxit Deus, dator omnis boni; quem supplex veneror, ut parentem tuum, virum bono Reip. natum, tibi bonisq; omnibus diu servet incolumem. Dabam è Muséo. Anno Christi Regis Aeterni M D C X I V.